INDICES
LECTIONVM

ET

PVBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE IN

ACADEMIA MARPVRGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNVM

INDE A D. XV. M. OCTOBRIS MDCCCXC VSQVE AD D. XV. M. MARTII MDCCCXCI

HABENDAE PROPONVNTVR.

Commentarioli Catulliani supplementum scripsit THEODORVS BIRT.

MARPVRGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

ACADEMIAE MARPVRGENSIS

RECTOR CVM SENATV

COMMILITONIBVS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Proxima aestate postquam prooemii loco de Catulli ad Mallium elegis ubertim in usum vestrum, sodales dilectissimi, disputatum est, hoc tempore, cum ad novam quaestionem movendam properare haesitaremus, ad disputationem illam supplementum breviusculum scribere propositum est adnotatiuncularum, quae quidem, ne bis idem agendo molestiores videamur, ut uni fere plagulae sufficiant curabimus.

In prooemii proximi p. X *studiorum* vocem apud Catullum v. 26 et 19 in Veneris studia transtuli ne quis de studiis carminum cogitaret; ad exempla ibi exhibita addere poteram locum Claudiani poetae, qui *studia procorum* posuit in Raptus Proserpinae III v. 412 sq.

Deinde etiam *munera Veneris* quid significare soleant multis ambagibus explicavi l. l. p. VIII sq. Qua in re a Carolo Bluemlein iuvene docto ac sedulo Francofurtano olim huius academiae cive de elegis Maximiani moneor; ut enim *Bacchi munera* frequentissime leguntur velut Vergili georg. III 526, Lygdami 6, 18, Columellae l. X 4, Ausonii XVIII 2, 153, Maximiani 1, 163, quibus etiam *Baccheia dona* substituit Vergilius georg. II 454, ita scripsisse etiam Maximianum l. l.

Non Veneris, non grata mihi sunt munera Bacchi;

atque eodem tendere apud hunc poetam 5, 47 *munera noctis* his in verbis:

Sic mihi prima quidem nox affuit et sua solvit
Munera grandaevo vix subeunda viro.

Exemplum quo Veneris munera non amoris usum aut incitamentum, sed poesin amatoriam designent, adhuc allatum non est.

Sed enim haec leviusscula adeo, vix ut propria relatione et hac publica chartula digna aias. Alicuius ponderis esse puto haec quae sequuntur. Scripserat Mallius amicus Veronae ad Catullum haec fere quode testimonium poeta facit v. 27 sqq.:

Veronae turpe Catullo
Esse quod hic quivis de meliore nota
Frigida deserto tepefactat membra cubili.

quae verba ut per se explicatissima esse videntur, ita tamen interpretationem curiosiorem propterea non respuunt quia omnis de Mallii epistolio dubitatio ea profligari potest. Quae ego l. l. p. XI ita accepi ut debui: Veronae id vitio dari Catullo, quod iuvenes Veronenses de meliore nota deficiantur amoribus et corpus refrigeratum ad teporem quidem illum senilem adducant, cui vel lodicula sola inservit, calorem et aestum requirant atque desiderent.

Huic interpretamento quantum veritatis insit et necessitatis, egregie illustrari video Prudentii loco qui exstat in libro adversus Symmachum altero; hic enim in eo est poeta ecclesiasticus v. 1064 sqq. ut pugnet contra Vestalium virginum et honestatem et santitatem; »primum parvae teneris capiuntur in annis«; »nec requies datur ulla toris, quibus innuba caecum vulnus et amissas suspirat femina taedas«; sed anubus factis nubere licet: »nam resides quandoque faces adolere licebit festaque decrepitis obtendere flammea canis, tandem virgineam fastidit Vesta senectam«; quae invectiva exit in verba haec v. 1080—1085:

Dum thalamis habitis tenuit vigor, inrita nullus
Fecundavit amor materno viscera partu.
Nubit anus veterana sacro perfuncta labore
Desertisque focis, quibus est famulata iuventa,
Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas
Discit et in gelido nova nupta tepescere lecto.

Verba postrema Catulliani loci tam consimilia esse video, ut qui illud *tepefactat* quod ibi scriptum est aliter atque de amoris defectu accipere velit, vel hoc de Vestalibus exemplo redargui possit. Et Vestalis quidem »desertum« lectum non habet, sed tamen gelidum; seni enim anus nupsit.

Neque omnino a veri similitudine abhorrebit si quis haec a Prudentio non sine recordatione Catulli scripta esse statuerit. Certe mihi persuasi Claudianum poetam Prudentii aequalem tunc ipsum legisse Catulli carmina. Atque ne recolligam quae ab aliis de scriptorum Romanorum infimae aetatis studiis Catullianis collecta sunt [1]), haec tantum in transcursu inicio, Catulliani versus 52, 2 memoriam extare apud Boethium consol. III 4, 6, versus 55, 24 apud Alcimum Avitum carm. VI 12, versus 11, 6 ibidem carm. I 261, verborum *flos hyacinthinus* 61, 93 apud Apollinarem Sidonium carm. 24, 62, versus 101, 9 apud Ausonium XVI, 25, 15: *accipe ... in aeternum commemorate vale.* Claudiani vero atque Catulli locos hosce compono quos certe non omnes casu atque fortuito in similitudinis speciem redactos esse contendere licebit:

Fescenn. IV 29: nocturni referens vulnera proelii;
Catulli 66, 13: nocturnae referens vestigia rixae.

1) cf. quae monui Zwei polit. Satiren (1888) p. 65.

Fescenn. IV 1: attollens .. iubar .. nascitur Hesperus;
Catulli 62, 1 sq.: vesper .. lumina tollit.

ad Nupt. Hon. praef. cf. Catulli c. 64.

Rapt. II 231: et testes firmant conubia flammae,
Catulli 62, 27: tua firmes conubia flamma.

Rapt. III 77: foedari pulvere;
Catulli 64, 224: pulvere foedans.

Rapt. III 133 sq.: procul irrita venti Dicta ferant;
Catulli 30, 9: tua dicta ... ventos irrita ferre; cf. 64, 142: quae .. discerpunt irrita venti (minus concinit Ovid. met. VIII 134; Lygdam. 4, 9).

Rapt. III 239: squalent rubigine;
Catulli 64, 42: squalida ... rubigo.

Rapt. III 311: imbribus ora madescunt;
Catull. 68B 16: imbre madere genae; adde Ovidi trist. III 5,12: osque madens.

ad Rapt. III 282 cf. Catull. 68 B 39.

Eutr. I 116: Arida ieiunae seges interlucet aristae;
Catulli 48, 5: densior aridis aristis .. seges (osculationis).

Eutr. II 23: qui vos lustrare valebit Oceanus? tantum facinus quae diluet aetas?
Catulli 88, 5: (scelus) quantum ... nec genitor lympharum abluit Oceanus.

Eutr. II 349: qui bene decoquat iram;
Catulli 68B 139: concoquit iram (cf. Homeri A 81).

M. Theod. 204: Tyrrhena tunditur unda;
Catulli 11, 4: Eoa tunditur unda (Stat. Theb. IX 465 magis differt: retunditur unda).

M. Theod. 125: dea Iustitia auream aetatem reducens castos Penates ingredi dicitur; nam
Catullus 64, 384: ante domos invisere castas .. solebant.

carm. min. 48, 8[1]: Tyrio .. toro
Catull. 61, 172: Tyrio in toro.

c. min. 25, 131: oscula mille;
Catulli 5, 7: basia mille.

1) numeros hos carminum minorum ex mea editione repetii.

c. min. 27, 31 sq.: ceu lassa procellis
Ardua Caucasio nutat de culmine pinus
Seram ponderibus pronis tractura ruinam;
Pars cadit adsiduo flatu;

Catulli 64, 105 sq.: Nam velut in summo .. Tauro .. turben .. flamine .. eruit .. Prona cadit lateque ruinis[1]) obvia frangens. Conferendus est etiam Vergilius Aen. II 465: lapsa repente ruinam .. trahit .. et late incidit; sed apud Catullum et Claudianum res posita est in comparatione.

---

carm. min. 32, 14: aequoris unda;
Catull. 68, 3: aequoris undis.

Stil. II 268: pandentem claustra;
Catulli 61, 76: claustra pandite.

Stil. I 78: gener .. socer
Catulli 29, 24: socer generque; similia contuli De re libraria p. 409.

VI cons. 396: respersos sanguine;
Catulli 64, 230: respergas sanguine (cf. Ovid. fast. III 452).

VI cons. 30: at si; similiter Catull. 62, 54.

---

bell. Poll. 155: Sed quid ego ... certatum memorem?
Catulli 64, 116: Sed quid ego ... plura commemorem.

---

bell. Poll. 322: scandit .. montes;
Catulli 105, 1: scandere montem.

---

c. min. 30, 146: veterum tibi carmina;
Catulli 68 A 7: veterum ... carmine.

Non pauca exempla et maxime quidem inter postrema casui dederis vel ad alios auctores rettuleris; non oppugnabo; omittere tamen nolui; sunt enim certe similitudines. Atque etiam in spurio Claudiani carmine, carm. min. append. 13, 5, *nigrantibus uvis* ita praedicatum est ut *nigerrimis* .. *uvis* apud Catullum 17, 16.

1) Ita scripsisse Catullum satis probabile puto.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim* a) *evangelium Ioannis* quater per hebd. h. IX, b) *epistulam ad Hebraeos datam* bis per hebd. h. IX interpretabitur; 2) *publice capita selecta ex archaeologia christiana* delineabit die Saturni h. X; 3) *privatissime* et *gratis* seminarii theologici *ad Novum Testamentum spectantes exercitationes* moderari perget die Iovis h. VI.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, 1) *publice exercitationes* seminarii *systematici* moderari perget; 2) *privatim* a) *dogmatices partem alteram* tradet quinquiens per hebd. h. XI, b) *theologiam ethicam* quater per hebd. h XII.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim* a) *librum Iesaiae prophetae* interpretabitur quater per hebd. h. X, b) *antiquitates sacras veterum Hebraeorum* enarrabit bis per hebd. diebus Mercurii et Saturni h. X; 2) *publice* seminarii theologici *ad Vetus Testamentum spectantes exercitationes* moderari perget die Lunae h. VI—VIII.

ERNESTUS CHRISTIANUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., ordinis theologorum h. a. decanus, 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *homileticas* die Mercurii, *catecheticas* die Veneris h. III—V moderabitur; 2) *privatim* a) *artem poemenicam atque liturgicam* quinquiens h. V docebit, b) *societates liberas, quae dicuntur Missio interna atque externa, nec non eam quae Gustavi Adolphi nomine notatur,* tractabit die Lunae h. VI—VIII.

ADOLPHUS IUELICHER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim* a) *historiae ecclesiasticae partem primam* enarrabit dd. Lunae Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV, b) *introductionem in Novi Testamenti libros* tractabit dd. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX; 2) *publice historiam textus et versionum Novi Testamenti* narrabit d. Saturni h. XI.

2. PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

CAROLUS MIRBT, theol. Lic. et P. P. E., 1) *privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam* enarrabit h. VIII sexiens per hebdomadem; 2) *publice de humanismo quem vocant* disseret die Merc. h. XII; 3) *privatissime* et *gratis* in seminario theologico *historicis exercitationibus* praeerit Veneris die h. VI—VIII.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

IOANNES WERNER, theol. Lic. et phil. Dr., 1) *privatim historiam theologiae protestanticae* bis per hebd., diebus Lunae et Iovis h. III enarrabit; 2) *publice Schleiermacheri doctrina quae fuerit et quam vim habuerit in theologia,* semel per hebd. die Martis h. VI explicabit; 3) *privatissime repetitorium historiae ecclesiasticae* binis per hebd. horis instituet.

BERNHARDUS BESS, theol. Lic., *privatim historiam ecclesiasticam Chattorum* enarrabit diebus Lun. h. V et Mart. h. III.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, ordinis iureconsultorum h. a. decanus, 1) *publice* disseret *de iure possessionis* die Merc. h. XII; 2) *privatim Dernburgio duce pandectas excepto iure familiae et hereditatis* tractabit quinquiens h. XI, quater h. XII; 3) *privatissime eodem duce examinatorium de altera pandectarum parte, ius obligationum, familiae, hereditatis continente*, in seminario iuridico instituet dieb. Lunae et Iovis h. VI — VIII.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice de iure et iuris fontibus disputabit* die Saturni h. XII; 2) *privatim pandectas excepto iure familiae et hereditatis* docebit quinquiens per hebd. h. XI—I.

IUSTUS BERNARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice* in seminario iuridico *constitutionem imperii Germanici* semel h. VI interpretabitur; 2) *privatim a) ius publicum Germanicum et Borussiacum* quinquiens h. XI, *b) ius Germanicum et Borussiacum ad administrationem publicam spectans* ter h. XII, *c) ius inter gentes* bis h. XII docebit.

CAROLUS DE LILIENTHAL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice* disseret *de natura poenarum earumque executione* die Mercurii h. IX; 2) *privatim a) ius criminale* docebit diebus Mart. Merc. Iov. h. X, Ven. h. IX—XI, *b)* in seminario iuridico *practicum de iure criminali* instituet die Veneris h. VI—VIII.

RUDOLPHUS LEONHARD, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *privatim a) historiam iuris Romani* docebit quater p. h. h. X, *b) institutiones iuris Romani* tractabit et *institutiones Iustiniani* interpretabitur quater p. h. h. XI, *c) exercitationes practicas de iure civili* in seminario iuridico instituet die Merc. h. VI—VIII, *d) processum imperii Germanici (ratione concursus creditorum non habita)* docebit quater per hebd. h. IV; 2) *privatissime* et *gratis de methodo iurisprudentiae* disseret *arte dissertationum de historia processus civilis scribendarum exemplis illustrata* die Lunae h. IX—XI in seminario iuridico.

HENRICUS LEHMANN, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice quibus modis intra tempus ab anno MDCCLXXXIII usque ad annum MDCCCLXX p. Chr. n. Germaniae statum in melius reficere susceptum est*, enarrabit die Merc. h. VI; 2) *privatim a) ius Germanicum privatum cum iure feudali, ratione novi codicis Germanici habita*, quinquiens docebit h. IV, *b) ius mercatorum atque cambiale* tradet diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. III, *c) collocutiones habebit de iuris Germanici historia necnon de iure publico atque ecclesiastico* diebus Martis, Veneris h. V.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, quid praelecturus esset non indicavit.

BERNARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, quid praelecturus esset non indicavit.

LUDOVICUS LASS, I. U. Dr., tribunalis regii assessor Borussicus, 1) *gratis de legibus imperii Germanici, quae ad assecurationem operariorum pertinent*, disseret die Mercurii h. VIII; 2) *privatim a) de concursu creditorum* disseret diebus Martis et Iovis h. IX, *b) de regulis iuris a tribunali summo imperii Germanici in iure mercatorio nec non cambiali observatis* diebus Martis et Iovis h. VIII; 3) *privatissime exercitationes practicas de iure eo quod pertinet ad processum civilem* moderabitur in seminario iuridico die Saturni h. V—VII.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

HERMANNUS NASSE, med. et phil. Dr., physiologiae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. II. cl. et coronae Boruss. II. cl. eques, 1) *publice* offert *repetitorium et examinatorium de sensuum physiologia* h. III die Sat.; 2) *privatim physiologiam generalem* hora commoda binis scholis docebit.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus superior primi ordinis, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* habendum offert semel p. hebd.; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* ter p. hebd. h. VI—VII et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen medicam* ab h. X et dimid. ad XII moderabitur.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, ordin. aquilae rubrae IV. cl. eques, ordin. Saxon. Ernest. et leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice studia practica in psychiatria forensi* binis horis moderabitur; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. hebd. hor. V—VII.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, ordinum coronae III. cl., aquilae rubrae IV. cl. eques, leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice* offert *selecta physiologiae capita* bis per hebd. h. XII; 2) *privatim a) physiologiae experimentalis primam partem* quinquiens p. h. h. XI docebit, *b) physiologicam sensuum* tradet bis p. h. h. XII; 3) *privatissime exercitationes et investigationes* in instituto physiologico moderabitur.

FRIDERICUS AHLFELD, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et instituti clinici obstetricii et gynaecologici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. et Albertini Saxonici I. cl. eques et cruce Ruthen. civ. II. cl. decoratus, 1) *publice repetitorium rerum obstetriciarum* semel per hebd. h. V instituet; 2) *privatim a) clinicen artis obstetriciae propaedeuticam* moderabitur bis per hebd. h. VIII, *b) artis obstetriciae theoriam (physiologiam graviditatis, partus et puerperii)* bis per hebd. h. IV docebit; 3) *privatissime a) operationes obstetricias* demonstrabit bis per hebd. h. IV, *b) clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. VIII.

FELIX MARCHAND, med. Dr., pathologiae generalis et anatomiae pathologicae P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, cruce ferrea decoratus, 1) *publice aetiologiam morborum qui infectione oriuntur* docebit die Saturni h. x et dimid. — xii per hebd ; 2) *privatim pathologiam et anatomiam pathologicam generalem* tradet quinquiens per hebd. h. xii; 3) *privatissime demonstrationes anatomico-pathologicas* moderabitur et *artem cadavera rite secandi* docebit diebus Lun. Merc. Iov. h. ii—iii et dimid.

HENRICUS BRAUN, med. Dr., chirurgiae P. P. O., instituti clinici chir. director, ordinis medicorum h. a. decanus, 1) *privatissime a) clinicen et policlinicen chirurgicam* diriget h. ix—x et dimid. sexies per hebd., *b) chirurgiam generalem* docebit diebus Lunae Martis Iovis Veneris h. viii, *c) cursum deligationis* die Martis h. ii—iii et dimid. habebit; 2) *publice examinatorium chirurgiae* offert semel per hebd.

AEMILIUS GASSER, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, 1) *publice* una cum Strahlio prof. *situm viscerum* docebit h. iv; 2) *privatissime exercitationes anatomicas* adiuvantibus Wagenero et Strahlio proff. moderabitur diebus senis per hebd. h. ix—xii et ii—iv; 3) *privatim anatomiam systematicam* tradet sexiens per hebd.

IOANNES MEYER, med. Dr., pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacologici director, 1) *privatim a) de intoxicationibus* disseret bis per hebd. h. v, *b) artem formulas medicas praescribendi* docebit bis per hebd. h. v; 2) *publice investigationes varii argumenti* moderabitur in laboratorio pharmacologico.

MAXIMILIANUS RUBNER, med. Dr., hygienes P. P. O., instituti hygien. director, 1) *publice* reget *investigationes hygienicas;* 2) *privatim a) hygienes primam partem* tradet quater per hebd. h. iv, *b) diaeteticam* bis per hebdom., *c) de falsificationibus ciborum et potionum* disseret semel p. hebd.; 3) *privatissime exercitationes hygienicas* reget quater p. hebd.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. O. H., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis coronae III. cl. eques, 1) *publice syndesmologiam* tradet die Veneris h. xi; 2) *privatim osteologiam* diebus Lunae Martis Iovis docebit h. xi; 3) *privatissime exercitationes anatomicas* una cum Gassero, Strahlio proff. moderabitur cottidie h. ix—xii et ii—iv.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., ordinis coron. IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *publice theoriam partus* binis scholis docebit; 2) *privatim de morbis mulierum* binis scholis disseret.

IOANNES STRAHL, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice situm viscerum* una cum Gassero prof. docebit; 2) *privatim de historia generationis atque evolutionis hominis* diebus Iovis et Mercurii h. ix disseret.

THEODORUS RUMPF, med. Dr. et P. P. E., instituti policlinici medici director, 1) *publice de morbis cerebri* disseret die Martis h. vi; 2) *privatim a) policlinicen medicam* reget ter h. xii, *b) propaedeuticen clinicam, praecipue methodologiam ad morbos dignoscendos respicientem* habebit quinquiens h. iii.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet; 2) *privatim operationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., 1) *privatim* disseret *de morbis infantum* ternis scholis h. VIII matut.; 2) *privatim* docebit *medicinam forensem, praecipue eos, qui iurisprudentiae operam dant* h. III ternis scholis.

FRANCISCUS TUCZEK, med. Dr., 1) *privatim psychopathologiae forensis partem II* iureconsultos docebit dieb. Martis et Vener. h. III; 2) *gratis psychiatriam propaedeuticam* tractabit die Saturni h. II.

IULIUS WITZEL, instituti odontiatrici director, 1) *publice de servandis* dentibus aget; 2) *privatim a) clinicen odontiatricam cum exercitationibus in dentibus extrahendis et plumbandis* moderabitur cottidie h. IX—XI et III—V, *b) cursum odontiatrium technico-practicum* cottidie h. IX—XI et III—V instituet, *c) pathologiam et therapiam morborum dentium et oris* quater per hebd. docebit, *d) cursum odontiatricum practicum medicinae studiosis* offert.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., ordinis aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco eques, *publice de curvarum punctis singularibus* disseret die Mercurii h. XI—I.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice imperii Germanorum fundamenta* delineabit semel per hebd. die Merc. h. IX; 2) *privatim oeconomiam politicam* docebit quater per hebd. die Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologi director, Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice* seminarii philologi sodalibus *Aristotelis artis rhetoricae librum primum* interpretandum proponet reliquasque *exercitationes* moderabitur diebus Lunae et Iovis h. VI; 2) *privatim grammaticae graecae partem priorem, quae ad verbum graecum spectat,* tradet diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XI.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, philosophorum ordinis h. a. decanus, 1) *publice repetitorium et examinatorium de rebus physices experimentalis* instituet die Sat. h. VIII; 2) *publice* leget *de phaenominis acusticis pro studiosis omnium facultatum* die Sat. h. XII; 3) *privatissime exercitationes physicas practicas* una cum Feussnero prof. moderabitur h. II—V quaternis diebus; 4) *privatim* leget *physices experimentalis secundam partem ad phaenomena magnetismi electricitatis caloris spectantem* h. VIII quinquiens.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparatae et philologiae Teutonicae P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice scriptores Sanscritos* interpretandos proponet dieb. Lunae et Iovis h. VIII; 2) *privatim phonologiam linguarum Sanscritae Graecae Latinae Germanicae* disseret quinquiens h. IX; 3) *privatissime* et *gratis carmina Hafiziana selecta* interpretabitur dieb. Mart. et Vener. h. VIII.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur; 2) *privatim historiam philosophiae a Cartesio ad nostram usque aetatem deductam* docebit ter per hebd. h. v.

RICARDUS GREEFF, med. et phil. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, Christi ordinis Lusitanici cum stella commendator, 1) *publice parasitorum imprimis hominis anatomiam et historiam naturalem* d. Lun. h. vi tradet; 2) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam animalium vertebralium* docebit dd. Lun. Mart. h. v, Iov. h. v—vii.

IULIUS WELLHAUSEN, theol. et phil. Dr., linguarum Semiticarum P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice a) Arabicos, b) Syriacos scriptores* legendos proponet quater p. h. h. vi; 2) *privatim a) veterem Islamismi historiam* tradet bis p. h. h. v, *b) proverbia Salomonis et Ecclesiasticum* interpretabitur bis p. h. h. v.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et litterarum recent. P. P. O., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii Romanico-Anglici* una cum Friderico Klincksieck, linguae Franco-Gallicae lectore, moderabitur quater per hebd. h. xi; 2) *privatim scaenicae poesis apud Gallos historiam* tradet quater per hebd. h. x.

MAXIMILIANUS BAUER, phil. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineralogici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim mineralogiam cum crystallographia* docebit quinquiens per hebd. a Lunae die usque ad Veneris h. x; 2) *privatissime in artem analyticam microchemicam per demonstrationes et exercitationes* introducet horis binis; 3) *publice exercitationes de formis crystallorum dignoscendis* moderabitur die Veneris h xi.

HENRICUS WEBER, phil. Dr., math. P. P. O., academiae h. t. rector, 1) *privatim a) theoriam integralium definitorum* docebit ter per hebd. h. ix, *b) Mechanicam analyticam* quinquiens per hebd. docebit h. viii; 2) *publice exercitationes* seminarii mathematici diriget die Sat.h. viii—x.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice repetitorium de chemia anorganica et organica* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a) chemiae experimentalis partem secundam, i. e. chemiam organicam* tradet quinquiens h. ix, *b) exercitationes practicas in laboratorio chemico* cottidie ab h. viii ad h. v.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *privatim ethicen et historiam principiorum ethicorum* ter per hebd.; 2) *privatissime exercitationes philosophicas* binis hora per hebd.

THEOBALDUS FISCHER, phil. Dr., geographiae P. P. O., coronae Italicae ordinis centurio, 1) *privatim geographiae generalis part. I* quinquiens per hebd. h. xii; 2) *privatissime et gratis a) exercitationes chartographicas* moderari perget die Lunae inde ab h. iii, *b) exercitationes physico-geographicas* moderabitur die Iovis h. vii.

HERMANNUS PAASCHE, phil. Dr., scient. polit. P. P. O., 1) *privatim oeconomiae politicae partem secundam* docebit quater per. hebd. h. v; 2) *publice historiam theoriae socialisticae* docebit die Merc. h. v; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes oeconomo-politicas* moderabitur semel p. h.

BENEDICTUS NIESE, phil. Dr., historiae antiquae et philologiae P. P. O., 1) *publice* seminarii historici *exercitationibus* praeerit die Merc. h. vi—viii; 2) *privatim a) res et Graecorum et Romanorum ab anno a. Chr. 338 usque ad annum 146 gestas* tradet quaternis p. h. scholis h. viii, *b) Herodoti historias* interpretabitur binis p. h. scholis h. viii.

CAROLUS EBERHARDUS GOEBEL, philos. naturalis Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti botanici pharmacognosticique director, lectiones non habebit.

ERNESTUS SCHMIDT, phil. Dr., chemiae pharmac. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice* a) *de venenis anorganicis inquirendis* disseret die Veneris h. IV, b) *rationes explorationis medicamentorum* docebit die Sat. h. IX; 2) *privatim chemiae experimentalis partem alteram* docebit quinquiens per hebd. h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas* in laboratorio pharmaceutico-chemico moderabitur cottidie.

FRID. HENR. EMANUEL KAYSER, phil. Dr., geologiae P. P. O., instituti geologici et palaeontologici director, 1) *privatim geologiam historicam una cum palaeontologiae elementis* tradet h. XI dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven.; 2) *publice de vulcanis et terrae motibus* disseret die Iov. h. III; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes geologico-palaeontologicas* instituet hora postea definienda.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in proseminario philologo *Platonis Pratagoram* interpretandum proponet, reliquas *exercitationes* adiunget die Lunae horis VI et VII vespertinis; 2) *privatim* a) *de critica et hermeneutica arte* disseret bis per hebd. h. IX, b) *litterarum Romanarum historiae partem alteram (quae tendit a morte Ciceronis ad usque Traiani tempora)* tradet quater per hebd. h. IX.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. O., 1) *publice exercitationes archaeologicas* moderabitur die Lunae h. X; 2) *privatim historiae artis antiquae partem alteram* tradet dd. Martis Iovis Veneris h. X.

MAXIMILIANUS LEHMANN, phil. Dr., historiae P. P. O., scientiarum academiae regiae sodalis, seminarii historici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes* seminarii historici moderabitur semel per hebd. h. VI; 2) *privatim temporum inde ab anno 1789 usque ad annum 1815 historiam* enarrabit quinquiens p. h. h. X.

EDUARDUS SCHROEDER, phil. Dr., Theodiscarum linguarum et litterarum P. P. O., seminarii Germanici director, 1) *privatim grammaticam Theodiscam* docebit quinquiens per hebd. h. XII; 2) *publice* in proseminario Germanico *exercitationes grammaticas* moderabitur die Mart. h. III; 3) *privatissime* in seminario Germanico *Klopstockii necnon poetarum Gottingensium carmina selecta* tractabit die Sat. h. XI—I.

GEORGIUS WISSOWA, phil. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in seminario philologo *Horatii epistulam ad Pisones* interpretandam proponet adiunctis *exercitationibus reliquis* diebus Lunae et Iovis h. VII vespertina; 2) *privatim* a) *Romanorum religionem et antiquitates sacras* enarrabit d. Mart. Iov. Ven. h. X, b) *Ciceronis de legibus libros* explicabit d. Lun. et Merc. h. X.

CAROLUS LAMPRECHT, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice exercitationes* proseminarii historici moderabitur semel per hebd. h. VI; 2) *privatim res Germanorum florentis imperii temporibus gestas* tradet quater p. h. h. IV.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINIARORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* disseret *de theoria parallelarum* semel p. h. hora posthac definienda; 2) *privatim* enarrabit *historiam mathesis (partem primam)* trinis scholis hora commoda.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* proseminarii mathematici *exercitationes* moderabitur d. Merc. h. VI—VIII; 2) *privatim* a) *geometriam analyticam, qua et duarum et trium dimensionum ratio habetur,* explicabit quinis scholis h. XI, b) *trigonometriam sphaericam ita* docebit *ut ad varias et astronomiae et crystallographiae quaestiones solvendas adhibeatur* ter per hebd. h. X.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice* disseret *de phaenomenis interferentiae quae dicitur luminis* semel per hebd. h. IX; 2) *privatim physices theoreticae partem primam* quater h. IX docebit; 3) de *exercitationibus physicis privatissime* moderandis cf. quae sub Melde prof. nomine indicta sunt.

GUILELMUS VIETOR, phil. Dr., philologiae Anglicae P. P. E., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice a) exercitationes* seminarii Romanico-Anglici moderabitur bis per hebd. h. XI, *b) de reformanda linguas recentes docendi methodo* disseret semel per hebd. h. VI; 2) *privatim a) historiam litterarum Anglicarum nostrae aetatis (inde ab a. 1850)* enarrabit ter p. hebd. h. IX, *b) antiquissima monumenta linguae Anglicae* interpretabitur bis per hebd. h. IX.

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., chemiae P. P. E., 1) *publice chemiae historiae partem primam* semel p. hebd. enarrabit; 2) *privatim rei chemiae capita selecta* studiosis instituti odontiatrici semel seu bis explicabit.

PAULUS NATORP, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur semel p. hebd.; 2) *privatim a) psychologiam* tradet ter per hebd. h. III, *b) historiam paedagogiae recentioris* enarrabit bis p. hebd. h. III.

BERNARDUS RATHKE, phil. Dr., P. P. E. Halensis, *privatim chemiam theoreticam* docebit bis per hebd. h. V.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

BENNO KLEIN, phil. Dr., *privatim geometriam situs* tradet binis scholis p. h. h. X.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., 1) *privatim theoriam mechanicam caloris* ternis scholis tradet; 2) *privatissime* sed *gratis selecta capita theoriae electricitatis* tractabit bis per hebd.

IOANNES STOSCH, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes Theotiscas* moderabitur semel p. h.; 2) *privatim Wolframi Eschenbacensis carmen cui Parcival inscriptum est* interpretabitur ternis per hebd. scholis.

FRIDERICUS GEORGIUS KOHL, phil. Dr., 1) *privatim a) physiologiam nutritus et crescentium plantarum* tradet bis per hebd., *b) pharmacognosiam et plantas medicinales* tractabit bis per hebd., *c) exercitationes microscopicas* instituet bis per hebd. et cottidie; 2) *gratis de bacteriis* semel per hebd. disseret.

GUILELMUS ROSER, phil. Dr., 1) *privatim chemiam corporum, quae vocantur aromatica*, tradet ter per hebd.; 2) *gratis colloquia de studiis recentibus in chemia* offert semel per hebd.

FRIDERICUS KAUFFMANN, phil. Dr., 1) *privatim Theodiscae poesis historiam per XII. et XIII. saec.* enarrabit ter p. h.; 2) *gratis de inquirendis theodiscis dialectis* disseret semel p. h.

REINHARDUS BRAUNS, phil. Dr., 1) *privatim a) chemiam mineralium* bis per hebd., *b) repetitorium de rebus mineralogicis* semel per hebd.; 2) *gratis de lapidibus pretiosis* semel per hebd.

LUDOVICUS PLATE, phil Dr., 1) *gratis a) arthropodum naturalem historiam* semel per hebd., *b) coelenteratorum naturalem historiam* semel per hebd.; 2) *privatim zoologiae repetitorium* bis per hebd.

EDUARDUS STUDY, phil. Dr., *privatim theoriam generalis curvarum et superficierum* tradet quaternis scholis h. XII.

WOLFGANGUS DE OETTINGEN, phil. Dr., 1) *privatim de medii aevi artibus* leget h. XII ter p. h.; 2) *gratis a) artes XIX. saeculi* tractabit Mercurii die h. IV, *b) exercitationes ad artium historiam pertinentes* offert semel p. h.

ERNESTUS GRAF, phil. Dr., 1) *privatim atticismi historiam* enarrabit *et Luciani scripta selecta* interpretabitur bis per hebd.; 2) *gratis Aeschyli Supplices* interpretandi *exercitationes* instituet semel p. h.

PAULUS KEHR, phil. Dr., 1) *privatim de re diplomatica* disseret bis p. h.; 2) *gratis exercitationes diplomaticas* moderabitur semel p. h.

GUALTHERUS IUDEICH, phil. Dr., 1) *privatim C. Iulii Caesaris res gestas* enarrabit bis p. h.; 2) *privatissime* et *gratis exercitationes historicas* instituet binis scholis p. h.

IULIUS LEY, phil. Dr., professor, linguae Hebraicae lector, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *gratis repetitiones grammaticas et exegeticas litterarum Hebraicarum* instituet binis scholis h. IV; 2) *privatim a) linguae Hebraicae syntaxin* docebit binis scholis h. XI, *b) Iobi librum* interpretabitur trinis scholis h. XI.

RICARDUS BARTH, professor, concentuum musicorum director, *doctrinam harmonicam* binis scholis tradet gratis. Idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert.

FR. SCHUERMANN, delineandi et pingendi artem docebit, doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam semel gratis tradet idem.

Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.